

ut quæreret legem Domini: Job. XI, 13. si tu præparaveris cor tuum, & extenderis ad eum manûs tuas: (1. Par. XXIX, 11.) 1. Sam. VII, 3. auferte deos alienos, & parate (obfirmata constantiâ exhibete) cor vestrum Domino &c. Lutherus: welchen ihr Herr nicht feste war; prius: welches sein Herr nicht richtet. Campensis: quibus nunquam id, quod rectum est, cordi fuit. Malè hinc pro libertate humani arbitrii in utramvis partem argui à Papiſtis, docet Chamier. tom. 3. panſtr. fol. 29. c. 9. §. 1. & Groſſ. tom. 1. theat. bibl. p. 645.

נאמנה nec fidelis fuit spiritus ejus (populi:) h. e. hypocrita fuerunt & ἡπόκραιτοι, ut ut præ se ferrent pœnitentiam feriam, levissimâ tamen datâ occasione Deum, ad quem se converterant, rursûs deferebant. Ita verbum נאמנה est fidelem ac constantem esse, ut 2. Sam. VII, 16. נאמנה & firma erit domus tua & regnum tuum, &c. Jer. XV, 18. de venâ aquæ deficiente, &c. hinc plagæ tenaciter adherentes aut constantes dicuntur fideles, Deut. XXVIII, 59. Lutherus: und ihr Geist nicht treulich hielt an Gott. prius: des Geist nicht rechtschaffen war an Gott. Campensis: nec unquam ex animo crediderunt Deo.

EXPLICATIO VERSUS IX.

בני אפרים filii Ephraim :) ab exemplô majorum generaliori descendit psaltes ad speciale defectionis aut pervicaciæ exemplum, ab Ephraimitis præbitum, ut proinde non incommodè Lutherus ex vers. 8. repetierit particulam similitudinis (כ) ut ne essent נאמנה, & כבני sicut filii Ephraim. cujusmodi exemplum fuit, Psal. LVIII, 9. sicut limax liqueſcens auferentur, (sicut) abortus mulieris non videbunt Solem. vide etiam Cob. VIII, 1. In tempore autem assignandô valdè invicem dissentiunt Interpretes. Nonnulli, ut Junius & Piscator, volunt (1) respici ad defectionem illam decem tribuum solennem sub Rehabeamô, cultumque vitulorum sub Jerobeamô amplectentium: cum tamen in historiâ Davidis desinat hic psalmus, nec tempora illa nepotis longè inferiora attingat. Alii, (2) hoc referunt ad tempora commorationis in Ægypto, ubi vivô adhuc Ephraimô Josephi filio, filii Ephraim interfecti fuere ab incolis Gath, cum descendissent ad abigendum pecora ipsorum: unde eosdem diuturnô tempore luxit ipsorum parens Ephraim, alios postmodum filios ex uore suâ gignens, 1. Par. VII, (al. VIII,) 21. 22. ita Chaldaus & R. Salomo de Ephraimitis, 30. annis ante terminum egressis ex Ægypto cum armis bellicis, sed occumbentibus. Alii (3) factum hoc censent post educationem ex Ægypto, peregrinante adhuc Israele in desertô, ubi Ephraim, tanquam tribus bellicosior superbiorque bella susceperit illicita, v. g. Num. XIX, 40. Deut. I, 41. post reditum exploratorum, (ubi tamen Ephraimi nulla habetur mentio;) ita Vnarienses in marg. Sic fermè & Kimchi; quem Muir sequitur, afferentes computationem illam tribus Ephraim, quæ post exitum continebat virorum 40. millia & quingentos, Num. I, 33. II, 19. quorum postea non nisi 32. millia & quingenti recensentur cap. XXVI, 37. ita & Höpferus. Alii (4) recentius adhuc factum indigitari opinantur, nimirum post Cananæam jamjam occupatam, ubi (1. Sam. IV,) totus Israel, inque eo E-

A phraimitæ, tanquam præcipua ac numerosissima tribus, arcam quoque Domini in Silo secum habens vers. 60. in fugam dati sunt coram Philisthæis. ita Belga, Aben Esra (citans vers. 67. ubi Ephraim dicitur non electus.) Tirinus, Raupius, Coccejus. Sunt (5) qui Ephraimum loco Israelis positum arbitantes, ob tribus præcellentiam, referant hæc ad pugnam contra Amalek præposteram, Num. XIV, 39. pro quibus faceret Psal. LXXVII, 16. filios Jacob & Joseph: atque sic Josephi etiam filius, Ephraim, h. l. Sanè non eliminanda adeo videtur classis secunda, cui etiam Veteres Ebraorum Doctores accedunt, dicentes, ante tempus Ephraimum fiducia suarum virium rei que militatis peritiæ, bellum intulisse Gethæis, pœnasque ibi dedisse suæ temeritatis: quod ipsum latius deducit Mollerus. Quid si Psaltes hic peculiariter factum respiciat tribus Ephraimiticæ, quô præ reliquis semper eminare voluit, pugnavitque non rarò infeliciter? confer Jud. VIII, 1. seqq. XII, 1. seq. A quô ipsò inconstantia specimine ducitur hinc comparatio, h. m. sicut turpe fuit Ephraimo, tantopere gloriari, & nihilominus fugam postea capessere, ac terga inhonestè dare; ita totus populus Israel. sapere debuisset melius, Deo adherere constantius, contra Satanam, mundum, carnemque suum pugnare animosius; verum quæ Ephraimo obtigit gloria fugitivo, eadem Israeli quoque integro in constanti. Confer de arcu fallaci infra vers. 57. ubi eodem ferè modò, & Majores & arcus, connectuntur.

נושקי occurrentes :) verbum נושק generatim est alteri occurrere, vel amoris causâ, atque sic est osculari, vel ex irâ, atque sic est tractare arma. Vel retentô osculandi significatu, dici potest, verbum נושק cum קשר arcus constructum, exprimere illum sagittariorum gestum, quo collimaturi ad scopum propius, ad os atque genas arcum suum applicant, tanquam ipsum met osculaturi. Atque h. m. non nisi ter occurrere id ipsum deprehendimus. videlicet 1. Par. XII, 2. illi venerunt ad Davidem נושקי קשר occurrentes arcu, dextra utentes & sinistra in ipsis lapidibus &c. 2. Par. XVII, 17. & cum eo נושקי קשר ומגן tractantes arcum & clypeum ducenta millia: & denique b. l.

רומי jaculantes arcu :) verbum רמה projecit (v. g. hostes in mare, Exod. XV, 1. 21.) non nisi hic & Jer. IV, 29. constructum cum voce קשת arcus: à strepitu equitum קשר ורמה & jaculantis arcu fugit omnis incola &c. Adeoque conjuncta hæc duo participia, cum uno constructa nomine, hunc dant sensum: Ephraimitæ occurrentes arcu jaculantesque arcu fugerunt &c. q. d. egregia sagittandi peritia pollentes. Refertur autem hæc construendi ratio ad Zeugma, ubi unum aliquod vocabulum ad plura referendum venit, cujusmodi exemplum Jes. XIX, 11. ירערו ירערו ירערו & quod Aben Esra affert ex Job. XX, 17. נהרי נהרי נהרי flumina torrentium mellis. confer gramm. p. 116. n. 8. Coccejus vertit: armati jaculantibus arcu. Lekach tof: die wurden geharnischt zu schiessen mit dem Bogen, quod tamen ad textûs allegatos non adeo quadrat. Hujus verò ipsius peritiæ militaris ideò meminit Psaltes, ut innuat simul, vana hac fiducia illectos Ephraimitas, parum curasse Dei voluntatem.